

J. J. de Åkerblom
abt. 1914

8.

DISSERTATIO METAPHYSICA
DE
*REPRÆSENTATIONE ORIGI-
NARIA, PRINCIPIO COGNO-
SCENDI ULTIMO,*

QUAM
CONS. AMPL. FAC. PHIL. AB.

PRÆSIDE
M. AND. JOH. LAGO,
PHIL. THEOR. PROF. ORD.

PRO GRADU
PUBLICÆ CENSURÆ OFFERT
FREDERICUS BERGBOM,
STIP. BILM. OSTROE.

IN AUD. MATHEMAT. D. I JUNII MDCCCX.

H. A. M. S.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

*Quidquid tibi sum expositurus, nec nova
capto, quia sunt recentia, nec antiqua sperno,
quia videntur obsoleta.*

BAUMGARTEN.

Per principium intelligi cognitionem, quæ aliis basi & fundamento sit notitiis quibusdam, vix est ut moneamus. In serie noticiarum, quæ ab illo robur hauriunt & certitudinem, primum sit & summum, neque ab aliquo decretorum, quæ ipsi subordinata sunt, deductum aut deducendum, necesse est: quod si secus fuerit, non pro principio, sed pro principiato habendum esse, unicuique patet. Cognoscendi itaque principium, quod absolutum & ultimum dici mereatur, ita erit constitutum, ut nullius umquam derivationis, ex qua clarius elucesceret certitudo ejus, indiga sit, nec cuidam enuntiationum, quæ ab ipso pendere debent cunctæ, superstruatur, vel ab illis vim veritatemque suam quodammodo mutuetur: sed in semet ipso unice nixum & fundatum, veritatis lucem in universas spargat cognitionis humanæ partes -- solis instar meridiani, qui sibi subjacentes omnes cœli terræque plagas lumine collustrat haud mutuatatio.

A Obser-

Observare autem attinet, duo in universum esse principiorum genera, quorum alterum, *logicum*, notionibus pro fundamento est generalissimis atque assertionibus vel decretis, e quibus derivantur definitio-nes, theorematum vel dogmata scientiae cuiuspiam; *constitutivum* alterum, quod in cognitione immediata ejusque originibus & possibilitate versatur (*a*), no-straeque materiem præbebit disquisitioni. -- Sic e. gr. *logicum* *geometriæ* principium in enuntiationibus hujus scientiæ & notionibus, quibus efficiuntur definitiones ejus, maxime universalibus, cernitur; *constitutivum* vero in syntheseos spatii intuitione, vel repræsentatione originaria, quæ nativam geometriæ indolem totam quantam constituit, neque in uno tantum vel altero ejus decreto conspicitur, sed per totum nosmet manuducens scientiæ ambitum; ut fieri possit quævis ejus constructio, efficit.

Jam vero, si accuratori rem nobiscum trutina examinare voluerit Lector, nullo, speramus, negotio animadvertis, absolute ultimum cognoscendi principium in nexu conceptuum, quicunque demum fuerint, nequaquam esse ponendum, quippe quum ratio ipsius hujus syntheseos necessario sit reddenda, & quæstionem, quo jure conjunctæ fuerint notiones,

ne

) Cfr. Reinhold, *Fichte und Schelling*. v. JAKOB FRIES Lpz. 1803 p. 25.

ne maxima quidem propositionis auctoritas averruncare valeat. Sie v. gr. si non defuerint, qui Principium Contradictionis pro unico omnis omnino cognitionis Principio habuerint constitutivo; neque ex altera parte nulli fuerunt Philosophi, qui, adeo latam esse Principii hujus vim/penitus negantes, ultra analyticorum sphærarum iudiciorum non esse usum ipsius nisi regulativum, neque validitatem a liam, quam negativi veritatis criterii, evictum dererint (*b*). Quid? quod exemplis non careat Historia Philosophiæ conatum, Principii Contradic-tionis/vel alii eidam superstruendi (*c*), vel pro nulla declarandi/veritatem (*d*). Scilicet postulat cognitio quævis, ut ex ipsa indole mentis nostræ & natura hauriatur explicatio, qua demum ratione & jure quoniam in numerum nostrarum relata sit repræsentationum. Unde si contenderint alii, per se esse clarum ac patere, quod multiplex & varium, sibi met ipsi contrarium, quodecumque, in una conjungi

A 2

conse-

b) Vid. *Prüfung der kantischen Critik der Reinen Vernunft* v. JOH. SCHULTZ §. 3. Cfr. *Encyclop. Wörterb. der krit. Phil.*, v. G. S. A. MELLIN sub Artic. *Analyt. Urtheil, Leibnitz, Synthet. Urtheil, Wolff & Wolffsche Philosophie*.

c) Vid. *Geist der Speculativen Philosophie* v. DIET. TIEDEMANN. Th. VI, p. 156. Cfr. MELLIN Lib. cit. P. III. p. 796.

d) Vid. TENNEMANN Lib. cit. P. II. p. 381. Marb. 1791-97.

4

conscientia, h. e. cogitari, nequeat, vel quod per determinationes sibi mutuo repugnantes nullum omnino repræsentari possit objectum: alii contra pertinaces si regesserint, gratis assumi & temere, donec, quo nitatur fundamento principium, perspicue fuerit declaratum; qua ratione lis componenda, a disceptatore quid afferendum, nisi quod, pensitando, examinando vel explicando ipsum hocce principium nexumque notionum, quæ in ipso conjunguntur, absolutum & universalem, invicta ejus, in oculos incurrens, sanæ cuivis menti semet obtrudat veritas? Hæcce vero eadem ad examen vel explicationem — vel quocumque demum nomine intellectus insignire malueris actum, ad modum, quo fieri debeat, pro consilio, vel lubitu, a temet ipso definiendum — provocatio, quid aliud arguit, quam in alta mente reposum tibi latere superius quoddam, unde vim veritatemque mutuatur ipsum Principium Contradictionis, apodicticam & indemonstrabilem? Quod idem ex attentiori conceptuum, quos in se continet principium, consideratione & scrutinio sic apertum.

5

Compar est ceterarum etiam, e quibus aliquam fundamenti instar, systematibus suis substruere, & absolute ultimi titulo principii ornare solet diversissimarum in publico Philosophico sectarum unaquamque,

5

que, enunciationum ratio (e). In eo enim consiprant amice, opposita ceteroquin, quæ in horum decretorum aliquo adquiescent ingenia, quod ubi ad arma contra aliter fentientes accurrerint, eandem universa urgeant semitam, responsisque suis & refutationibus ultimum cognoscendi principium clam intiment verum. Eiusmodi nempe eorum ex dictatione, est fundamentalium, e quibus manare debant ceteræ, assertionum ratio, ut ubi animo repræsentatae fuerint, absolute certorum ilico naturam prodant decretorum. Quod vero si ad ultimum cognitionis principium constituendum sufficerit, in nihilo veri videtur disquisitio omnis de principio cognoscendi unico & ultimo, atque miserabiliter emori spes, ut ad scientiæ dignitatem systematicæ evahatur Philosophia, saltim fore olim, si jam non factum sit: quippe quum multa certe nobis sint principia indemonstrabilia, paris pretii, ponderis ejusdem, de quibus itaque nullum alteri prævalere, aut pro ultimo habendum esse principio, jure omnino

*) Easdem deducere & vel enumerare hoc lofo supersedentes, Lectores ad librum delegamus: *Vergleichende Geschichte der Systeme der Philosophie* — v. J. M. DEGERANDO uebess. mit Ann. v. W. G. TENNEMANN Vol. II. p. 278 — 470 Cfr. Lib. JAC. SIGM. BECK Einzig möglicher Standpunkt aus welchem die Critische Philosophie beurtheilt werden muss, p. 136, Riga 1796.

/c/r

minio statui posse videtur. Ejusmodi e. gr. axiopata esse geometrica manifesto deprehenduntur in universum omnia. Quum nempe statuit Mathematicus; spatum in tres extensum esse dimensiones, duas lineas rectas spatum non comprehendere &c., nihil certe a nobis requirit, nisi ut spatiū nobismet ipsis formemus repræsentationem primitivam, ex qua sola indemonstrabilem elucescere veritatem asserti, unice securus deceernit. Quo autem, quæso, jure Principio Contradictionis palmam præ his tribuas?

An vero forsan alio dignoscatur criterio quodam veritas cognitionis Philosophicæ, paucis, age, jam dispiciamus. Quid itaque est Philosophari? Circa definitionem hic jam non litigamus. Si enim ponatur vel in actu intelligentiae qui aut vera a falsis, distinguere conatur, aut absolutum a fortuito/vel noticias e suis derivare principiis (f); attamen remanent quæstiones soluendæ, quid originem vero illi & absoluto tribuat atque fundamentum: principiis ipsis quid pro firmamento sit, quid ratam habere distinctionem ipsam, vel derivationem tibi im- peret?

f) Vid. C. L. REINHOLDS *Anleitung zur Kennt. und Beurtheil. der Philosophie in &c.* Wien 1805 p. 11. *Die Philosophie und der Philosoph aus d. Jahr. Gesichtsp. v. JOH. CHR.*

w FR. DIETZ Leipzig. 1802 p. 6 sqq. BECK Lit. cit. p. 131 sqq. & MELLIN Lib. cit. sub art. PHILOSOPHIE

peret? Repono: nihil aliud ac repræsentatio eadem originaria, una & sola, examinis ulterioris nullius capax. Philosophiam scilicet sibi meti ipsi unusquisque instillabit, quippe quæ objectum memoriæ neutquam sit habenda. Vir igitur, qui systema aliquod ita habeat in promptu, ut formulas loquendi ejus terminosque omnes calleat, telam ratiociniorum araneosam atque demonstrationum, quibus nitatur, mirum quantum perdoctus, nihilque præterea, eruditio quidem titulum meretur, Philosophi autem laudibus non magis est ornandus, quam qui propositiones Geometriæ, calculique inferioris & sublimioris plurimas tenaci conservet memoria, unde orientur, qua nitantur basi inconcussa, quorsum universæ tendant, incuriosi, mathematici. Enimvero poscit Philosophia, si alia umquam scientia ulla, actum mentis liberum & spontaneum, eoque efficitur: vincula auctoritatum spernens omnia, originario ut repræsentetur, postulat. Quæ cui desunt, deficit pariter ingenium philosophicum, quod nequicquam & frustra in seruili mysticarum, quas aliunde didicerimus, derivationum imitatione quæritur, sed in earundem vel suamet vi inventione, vel ab alio inventarum apperceptione & animadversione ingenua, ponendum est. Ubi nempe systema aliquod philosophicum amplexi fuerimus, vel dijudicandum nobis sumserimus, omnino requiriatur, ut cogitandi rationem viri totam quantam remur, atque in seriem ratiociniorum ita penetremus intime,

intime, ut ipsum, e quo profectus fuerit, punctum, vel principia, quibus reliqua nitantur, ad originariæ repræsentationis nostræ trutinam referre connitamus; si non umbram pro Junone captare, hypothesumque & opinionum vanarum ineptis fallacibusque mentem impedire velimus præstigiis. Sic, ut exemplo utamur, qui e Philosophia Transcendentali didicerit, e categoriis manare omnem experientiæ possibilitatem, hancque solam esse conditionem, sub qua ad objecta applicari jure possint categoriæ; in hoc vero semisomnus & iners subsistens, categorias hasce promeritis objectorum prædicatis habuerit, ipsas in repræsentatione originaria universas contineri, oblitus, vix a semet ipso, ab aliis ne vix quidem intelligi poterit unquam.

Ex his jam allatis quum appareat forsitan per omnem omnino, quaquaversum semet extendat, cognitionis humanæ campum, vel usum intelligentiæ pro fundamento esse το repræsentare originarium, unico & ultimo, in quo omnium quascunque mente formare possimus, notionum nititur sensus & significatio ad rem nobis videtur convenientissimum, ipsum huncce repræsentandi actum primitivum, in Philosophia ultimum constituere principium. Caveat vero Lector putet, nobis heic negotii aliquid esse cum analysi conceptum quadam. Hoc loco definiendum

originarii

nobis

nobis prorsus non sumimus vel exponendum: quid sit *objēctum*, quid *originarium*, *repræsentatio* quid sit & significet, quippe quum hæc omnia repræsentationes sint derivativæ, notiones, vel conceptus, sensu, si *repræsentatio*, de qua nos differimus/non præcesserit, penitus vacui. Criterio repræsentationem originariam nulli subjecere possumus, quia omnibus criterio est repræsentationibus aliis, pariter atque Mathematicus non/ triangulis, circulis, vel cubis derivat spatii intuitionem, quum sine hac constructio figuræ nulla sit. Exemplum sequimur Geometræ, qui ubi ad scientiam suam pertractandam progressus fuerit, de objecto suo, spatio, nihil prædicat; sed omni prætermissa disquisitione, a priori ne sit, an a posteriori, conceptusne an repræsentatio immediata, utrum pro ordine rerum coëxistentium habendum sit spatium, an pro forma rerum externarum, a discipulo postulat tantum, ut sponte & Marte suo spatium sibi repræsentet. Similiter & nos, quid sit repræsentatio originaria explicare & per notas quasdam logicas determinare non conamur, quippe quum ejusmodi explicatio ipsum ponat explicandum. Postulamus tantum ut a meritis conceptibus pauclisper absistat penitus Lector, & ad ipsum illud, quod omni unitati conscientiæ analyticæ in notiñibus pro fundamento est & principio, unitatem conscientiæ objective syntheticam/ atque mentis originarie representandi functionem/ unice attendat.

pp. 311. Bq. 11. d. 1. Atque

Atque adeo principium cognoscendi ultimum in postulato ponendum esse censemus? Certissime. Aliam nullam ei concedere possumus; formam ac quam admittat practicum quod synthesis continet, per quam in genere objectum nobis datur & conceptus generatur, decretum, analyseos neque capax ullius neque demonstrationis indigum, quoniam nempe conjunctio, ad objectum producendum requisita & postulata, non diversa est ab illa, quae in ipsa representatione objecti formanda jam occurrit, synthesis. Nihil enuntiat postulatum nostrum; attamen omnibus quæ fieri umquam possint, enuntiationibus fundamento est primo. Versatur in autem, ut primitivum facultatis cognoscendi actum, de quo loquimur, notionum omnium matrem secundam, sibimet ipsi representet quisque, eundemque representationum derivatarum omnium & forsitan etiam nostrum, agnoscat interpretari.

Quid vero de notionibus, quas titulo *a priori* denotare solet Philosophia Critica statuendum? Numne criminis, magno Criticismi auctori a nonnullis intentato (*g*), ejusque affectus quosdam tangenti (*h*), notiones hasce, quas inter categoriæ, nil esse

g) Lib. DIETZ cit. p. 140 sqq.

h) Vid. Beck Lib. cit. p. 126, 176 sqq.

esse nisi formas fixas, otiosas, mortuas, calculum adjiciemus, statuentes neque objectivam unitatem in conceptibus a determinatione, per quam nobis eandem representamus, neque ergo categorias a re facti quadam nullo pendere modo? Quod si assumserimus vacua erit & inanis notionum in *a priori* & *a posteriori* distinctio: immo, quo demum cunque modo rem explicare conatus fueris, evitare frustra studebis, categorias pro innatis habere notionibus, qui quidem ipsas considerandi modus tenebris, unde exitus nullus pateat, nosmet obvolutos, in qualitate quadam occulta refugium querere unicum coget. Ast e dubiis hisce & difficultatibus nosmet extricat KANT, expresse docens: Facultatem cognoscendi formas rerum in spatio & tempore æque ac unitatem multiplicitis syntheticam in conceptibus sponte ex semet ipsa producere (*i*). Quod vero Categoriæ conceptum Intellectus nomine appellantur parorum vel *a priori*, ejus nulla alia est ratio, quam quod fundamentum unitatis illarum analyticæ ipsa representatione originaria, quæ usum intelligentiae omnem constituit, efficiatur; quæ vicissim empiricarum unitas notionum firmamento nititur originario syntheticæ, per representationem categoriæ

i) Über eine Entdeckung Königsb. 1790 p. 68 sq.

originariam ortæ (k). Re facti ergo nititur omnis Philosophia, & actione, quæ nulla est alia, quam ipsissima illa ex qua sensum & significationem omnes quidem conceptus accipiunt, repræsentatio originaria, quæ in ipsis categoriis consistit. Sic e. g. spatum repræsentatio est originaria, vel, ut loquitur Critica Rationis puræ, intuitio: scilicet synthesis homogenei originaria, quæ ipsum spatum producit. Cogitamus spatum ut multiplex nexus conjunctum. Sed ubi positus est hicce nexus? In nullo certe objecto extra nos. Nosmet ipsi originarie conjungimus & componimus, h. e. spatum producimus. Pariter etiam Categoria Realitatis non in conceptu ponenda est; sed probe tenendum, repræsentandi modum eundem esse originarium, scil. sensationum synthesis. Ab hacce synthesis primitiva diversus est aliis originarius pariter, atque cum ipfa illa (synthesi) intimo, (in repræsentatione originaria) conjunctus vinculo, actus, Schematismi Categoriarum Transcendentalis nomine in voluminibus Philosophiae Criticæ appellatus, circa quem similiter cavendum, ut ne pro mero conceptu habeatur, quoniam in primitiva situs est temporis determinandi actione, qua sit, ut objectum in genere agnoscamus (l).

Contra

k) V. BECK I. c. p. 178 sq.

l) Facultas synthesis originariæ Intelligentia, Schematismi autem Facultatis judicandi, Transcendentalis ambæ nomina

Contra hæc pugnare primo intuitu videtur Criticismi de intellectu nostro non intuitivo sed discursivo doctrina, quæ vero pugna evanescet, speramus, ubi supra conceptus ad repræsentationem, quam urget postulatum nostrum, originariam, mente semet ipsum ~~ea~~ evexerit Lector. Scilicet nil aliud statuit, nisi magnopere fallamur, decretum, quam ita constitutam esse intelligentiam nostram, ut objectum quodvis per notiones modo, adeoque in analyticæ (m) tantum, neque unquam originario synthesis (n) sibi repræsentare queat conscientiæ unitate. Ubi nempe objectum quoddam nobis repræsentamus, conceptus rei adsit necesse est, atque punctum respectus determinationibus nonnullis figamus eoque modo objectum ~~cum~~ notis conjungamus quibusdam. Ab hac vero per notiones repræsentatione diversa est

m) in scriptis KANTII gerunt, in Logica generali quoad significationem determinata. Quæ vero scientia, cum notiones ut res facti considerat ad notarum modo conjunctionem, i. e. derivativam, non vero ad originariam & geneticam conceptuum synthesis, unde tamen pendet derivativa, attendit. Pari modo functio facultatis judicandi, subsumptio, vel agnitus derivativa, illi, quam supra nominavimus originariæ, subordinata est. V. BECK I. c. p. 142 sq.

n) V. BECK Lib. cit. p. 183 sq.

o) V. Lib, cit. p. 144 sqq. Cfr. p. 452 sqq.

est omnino originaria, sicut conceptus e. gr. trianguli rectilinei plane aliud est ac, qui notioni pro fundamento est, illud per synthesin originarie producendi actus. Præprimis namque notandum est, nosmet per repræsentationem originariam significare prorsus non velle objecti cujusdam repræsentationem, quippe quum in nulla proprie versatur re objecta: nam quæ ex illa oritur unitas originario-syntheticæ omnem conceptus significationem constituens in analyticam transeat necesse est prius quam objecti, per notas repræsentandi, oriatur repræsentatio.

Insimul vero diffitendum non est, hancce eandem intellectus nostri constitutionem & naturam quæ res objectas omnes per notiones sibi repræsentare tenetur, nebulas ipsi primo conceptuum principio offundere subtile, quas nil nisi facultatis cognoscendi analysis scrupulose instituta dispellere valet. Haud aliunde petenda est ratio, cur nos in ostendenda repræsentatione originaria, notionum usi fuerimus atque utamur subsidio, a nobis non evitando; quod si quem fecellerit, ut opinetur, nobis hic loci rei aliquid esse cum propositione quadam logica, pro principio conclusionis cujusdam, vel norma derivatarum repræsentationum quodammodo conjungendarum, a nobis allata, in abscondito prorsus ipsi latet verus postulati nostri sensus. Quapro-

propter idemtidem quæsumus, a conceptibus omnino abstrahat Lector, singatque sibi per παλιγγενεσίαν quandam animum in ipso primitivo facultatis cognoscendi actu unice occupari.

Quorsum tendamus, quo facilius appareat, ad enuntiatum scientiæ evidentissimæ, Geometriæ, quodam cogitata nostra, age componamus, atque axiome, exempli instar, repræsentationem originariam non probaturi quidem, sed qua illam ratione animo percipiendam velimus, quadanterus illustraturi, utamur. Statuunt itaque Mathematici, ab uno pñcto ad alterum unam tantummodo duci posse lineam rectam, ex quo consequitur, duas lineas rectas spatium non comprehendere. Quæri jam posit, quo nitatur fundamento assertionum harumce indemonstrabilium certitudo apodictica? Respondet Geometra unusquisque, ad stipulatur Philosophus, ex analysi conceptus lineæ rectæ & punctorum duorum elici eandem numquam posse, namque notio puncti, tamquam limitis lineæ, omnino non determinat, utrum puncta duo limites sint unius tantum lineæ, ap' vero plurimum: atque e conceptu lineæ rectæ nil aliud hauritur, quam eatenus esse partes ejus homogeneas, ut versus eandem plagam, vel directionem semet extendant omnes, e quo autem non cernitur, plagam hancce huic soli, nec forsan aliis etiam lineis rectis competere; quippe quum adeo lata sit notio directionis,

nis, ut rectæ omnes, quibus quidem puncta nulla sunt communia, sed quæ parallelæ tantum sunt, lineæ, ejusdem esse directionis dicantur. Hæc vero Geometram nihil movent ratiocinia, quin potius in sua procedendi methodo geometrica certitudinem invenit. Quæ vero methodus nulla est alia, quam ipsa eadem, quam loquimur, repræsentatio originaria, spatii nempe synthesis. Hujus ope lineam producit punctis non nisi duobus terminatam, partibusque suis paucioribus vel pluribus (si ad unitatem scilicet determinatam referantur), at omnibus tamen ad unam, a nulla alia occupatam linea, plagam necessario directam. Eadem repræsentatio originaria decernit, duas lineas rectas, si non coinciderint, angulum formare rectilineum, ex quo rursus repræsentationem deducit, rem objectam hancce, figuram, vel spatum terminis inclusum, esse nequire. Quando autem crura anguli vel a semet invicem migrando, vel proprius propiusque ad se invicem admovendo, angulum per inumeros vel auget Geometra vel diminuit gradus, donec evanescat, ipsam primitivam exercet repræsentandi facultatem, totamque producit objectorum sphærām, ex qua originaria, plenum complectente ambitum, repræsentatione, derivativam deducit, notionem communem, angulos in universum omnes hosce spatia non esse, limitibus undequaque finita. In genere observatu est dignum, quod una quæque geometricarum repræsentatio derivativa ad origi-

originariam ultimo referatur. Idque discriminis axio-
ma intercedit geometricum & theorema, quod in
repræsentatione originaria, vel intuitione fundata im-
mediate sit, quæ axiome continetur, rei objectæ
repræsentatio, quæ, vicissim, in Theoremate enuntia-
ta, ex una vel pluribus pendet derivativis repræ-
sentationibus, principio immediate nixis originaria,
quam ~~indigavimus~~, repræsentatione. Cujus veri-
tatem asserti facile perspicit, quicumque theorema
aliquod geometricum ejusque demonstrandi modum
sibi sumserit examinandum, animadvertisurus simul,
decretis quibūdam philosophicis, (v. gr. non notio-
nem, sed intuitum non ab experientia haustum,
sed purum & a priori esse spatium) pro firmamen-
to non egere geometriam.

Repræsentationes, quæ ab originaria dederuntur, derivativæ sunt. Hæc, quatenus sphærām objec-
torum complectuntur, tamquam principia novarum
derivationum adhiberi possunt. Est vero hæcce de-
rivativa vel discursiva subordinata originariæ repræ-
sentationi, ad quam necessario referenda est deriva-
tiva quævis repræsentatio, de qua dici jure possit,
quod objectum habeat.

In eo Transcendentis cardo vertitur Philo-
sophiæ, ut monstrat rerum, quales in se sunt, nosmet
nullam habere cognitionem, sed tantum quales nobis

apparent: phænomena ergo sola esse cognitionis nostræ objecta, quæ cum nouenis non sunt confundenda. Cavendum itaque nobis esse docet, ut ne multiplex & varium ejusque nexus extra facultatem cognoscendi queramus, quo rem considerando modo pares futuri sumus ludionibus metaphysico-logicis, qui sibi cum meris notionibus inepto campum sine limite ullo aperientes, quæstionum atque responsorum sensu carentium voragini semet immergunt immensæ: speciem venditantum philosophicam, revera autem interitum genuinæ omnis minitantium Philosophiæ. Eandem habet significationem postulatum nostrum, nisi magnopere fallamur, sensum constituens conceptum, atque ut a nobis intelligi queant omnes efficiens. Nihil quidem exinde manat aliud, quam nexus omnem in actione mentis originaria esse fundatum, à quo est consequens, errare nosmet, ubicumque hancce in rebus ipsis ponamus synthesin: quæ opinio atque rerum οὐτως οὐτων temerarie ostentata cognitio maxime in caussa fuit errationum, quibus vexatam vidimus Philosophiam Theoreticam, multiplicium. Si nempe statuamus, spatium e. gr. aliquid esse, e synthesi originaria nullo pendens modo, nescimus, mehercule, quid demum nostram spati representationem cum ipso objecto, vel potius spectro, conjungat/- quippe quum omnia, quibus niti queat cognitio, ejusmodi rem considerandi modo, penitus summoveantur fundamenta.

Circa

Circa Realitatis Categoriam similiter erroris nebulas insciæ nobismet ipsis offundimus, e quibus frustra queritur exitus, ubieutque hanc pro mero habemus objecti conceptu categoriam, neque attenderimus, eandem reliquasque categorias nil esse nisi modos repræsentandi originarios. Omnes vero hæ mox dissipantur tenebræ, ubi categorias tamquam primitivam mentis actionem, & cacumen usus intelligentiæ summum nobis repræsentaverimus, & probe fuerimus memores, quod omnis, quæ sensu & significatione non careat, repræsentatio ad primitivam ultimo referenda sit: quæ ergo repræsentatio originaria cum omnem absolute constituat cognitionem, pro ejusdem non potest non haberi principio ultimo.

In eo præcipuus vertitur opusculi hujus finis, ut tuam, Lector, ad ipsum repræsentandi actum originarium flectat attentionem. Restaret ulterior ejusdem in Categoriis instituenda analysis, quam hoc loco e longinquo significasse tantum, & vel ad aliam rejicere scriptiōnem, vel peritiori deferre, variæ nos jam non tam svadent, quam cogunt rationes. Hæc interim excipias, censor, si non le-

nis,

nis, tamen æquus, nævorum, quos genuit non modo abstrusi difficultas argumenti / atque ad notiones & ratiociniorum nexus hodiernos bene exprimendos, latinæ insufficientia linguae, sed, quæ primo forsan nominanda fuisset loco, juuenilium etiam imbecillitas virium nostrarum.

